

Beiheft

2

S 114

1278 April 19 Breden.

[47]

Bischof Everhard von Münster befundet den Verkauf von 2 Gütern an das Stift Barlar.

Everhardus, Dei gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, omnibus praesentia visuris salutem in Domino. Ut rerum gestarum plenius valeat memoria conservari, cautum est et utile videtur, ut ea, quae gesta sunt, sic praesentium iuuentur testimonio, quatenus omnia, sicuti gesta sunt, si necesse fuerit, liquere possint fidelium posteritati. Proinde dignum duximus cunctis Christi fidelibus constare, quod Elisabeth de Hummele, canonica ecclesiae Fredenensis, et sui haeredes, videlicet Bonifacius filius eius et Beatrix filia ipsius, coram nobis et fidelibus nostris omnem proprietatem praedictorum¹⁾, scilicet Nienhoff ac domus in Vorde, quam sibi competere asserebant, quae praepositus et conventus ecclesiae V^arlarense a Wilhelmo de Lon et suis haeredibus legitime comparaverunt, cum omnibus suis fructibus et proventibus ac attinentiis plane et libere resignaverunt ac omni iuri abrenunciantes mediante quadam summa pecuniae, videlicet septem marcarum, dicto praeposito et conventui coniunctis manibus cum magno favore porrexerunt libere et quiete perpetuo possidenda. Ut autem haec rata et firma permaneant, praesentem litteram saepedicto praeposito et conventu tradidimus sigilli nostri munimine roboratam. Acta sunt haec apud Frethen, feria tertia in sancta hebdomada Paschae, anno Domini M^oC^o septuagesimo octavo, praesentibus his, quorum nomina haec sunt: Richardus custos et Wernerus cellararius V^alarense, Adolphus plebanus de Reth, Lubertus capellanus noster et Ludolphus sacerdos, Hermannus de Legden, miles, et Joannes frater ipsius, Wilhelmus de Lon et Philippus de Frethen, et dominae Elisabeth de Domo lapidea, Heilewigis, Margareta et Mechteldis canonicae Frethenenses, Joannes et Henricus famuli praepositi et alii quam plures.

Kopie im Barlarer K^ap*iar* S. 65/66.